

morsu dividunt escas, intimi autem conficiunt, qui genuini vocantur; quae confectio etiam a lingua adjuvari videtur. Linguam autem ad radices ejus haerens excipit stomachus; quo primum illabuntur ea, quae accepta sunt ore. Is oris utraque ex parte tonsillas attingens, palato extremo atque intimo terminatur. Atque is, agitatione et motibus linguae quum depulsum et quasi detrusum cibum accepit, depellit. Ipsius autem partes eae, quae sunt infra id, quod devoratur, dilatantur: quae autem supra, contrahuntur. Sed quum aspera arteria (sic enim a medicis appellatur), ostium habeat, adjunctum linguae radicibus, paullo supra, quam ad linguam stomachus annectitur, eaque ad pulmones usque pertineat, excipiatque animam eam, quae ducta sit spiritu, eandemque a pulmonibus respiret et reddat; tegitur quasi quodam operculo; quod ob eam causam datum est, ne, si quid in eam cibi forte incidisset, spiritus impediretur. Sed quum alvi natura, subjecta stomacho, cibi et potionis sit receptaculum; pulmones autem ex aëre extrinsecus spiritum adducant; in alvo multa sunt mirabiliter effecta, quae constat fere e nervis. Est autem multiplex et tortuosa, arcetque et continet, sive illud aridum est, sive humidum, quod recipit, ut id mutari et concoqui possit; eaque tum adstringitur, tum relaxatur, atque omne, quod accipit, cogit et confundit, ut facile et calore, quem multum habet, exterendo cibo, et praeterea spiritu omnia cocta atque confecta in reliquum corpus dividantur.

Cap. LV. In pulmonibus autem inest raritas quaedam, et assimilis spongiis mollitudo, ad hauriendum spiritum aptissima: qui tum se contrahunt adspirantes, tum respiritu dilatant, ut frequenter ducatur cibus animalis, quo maxime aluntur animantes. Ex intestinis autem et alvo secretus a reliquo cibo succus is, quo alimur, permanat ad jecur, per quasdam a medio intestino usque ad portas jecoris (sic enim appellantur) ductas et directas vias, quae pertinent